DE LIBERTIS
SEPVLCRORVM CVSTODIBVS
AD LEGEM II. DIG. DE IN IVS VOCANDO
EXERCITATIO

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

AVGVSTO CORNELIO STOCKMANNO

IVRISCONSVLTO ET ANTECESSORE

DIE XI. OCTOBRIS A. O. R. cIↃIↃCCCIII

PVBLICE

AD DISPVTANDVM PROPONIT

GVILIELMVS SIGISMVNDVS TEVCHER

FRIBERGENSIS

IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREVS

LIPSIAE

IMPRESSIT CAROLVS TAVCHNITZ

AMPLISSIMO

INCLVTAE CIVITATIS FRIBERGENSIS

SENATVI

SACRVM

VIRI

EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI, IVRIVM CONSVLTISSIMI, RERVM METALLICARVM PERITISSIMI,

PATRONI ET FAVTORES

OMNI, QVA PAR EST, OBSERVANTIA

COLENDI!

Non est profecto, quod magnopere laborem in conquirendis ac commemorandis causis, quibus impulsus huic libello Vestra splendidissima nomina inscripserim. Vos enim, Patroni Optimi, non solum a teneris, ut Graeci aiunt, unguiculis ad hunc usque diem optime mihi prospexistis,

meque beneuolentiam Vestram ambientem tanta semper comitate atque humanitate excepistis, ut amicus magis, quam cliens videri possem; verum etiam, his nondum contenti, largissimorum stipendiorum in me collatione faciliores ac suauiores reddidistis studiorum meorum annos. Cum igitur in eo sim, ut edatur iam ac publice defendatur a me dissertatio quaedam iuridica, lubentissime arripio hanc opportunitatem, qua acceptior nulla mihi potest contingere, offerendi Vobis, Viri Consultissimi, hocce qualecunque opusculum, tamquam verissimam grati animi et mirifici cuiusdam amoris erga Vos mei tesseram. Haud ignoro quidem, permulta extare documenta, quae de egregio Vestro bene merendi studio luculentissime loquantur, neque exiguum esse numerum eorum, qui propensam Vestram atque conspicuam in litterarum cultoribus voluntatem palam profiteantur ac praedicent. Nihilo secius egomet ipse rapiendam de die esse occasionem arbitratus sum, qua iustissimis Vestris

laudibus sermone meo non tam aliquid addere, quam potius efficere possem, ut tum insignis ista, qua me exornastis, beneuolentia, tum spectatissima, qua urbi patriae prouidetis, sapientia, et in uniuersum eximiae aliae Vestrae virtutes, in illustri quippe atque excelso aliquo loco positae, in omnium ciuium animos atque oculos incurrant.

Accipiatis igitur, Fautores summopere Deuenerandi, pietatis hoc meae monumentum, si ex pretio spectetis, exiguum, sin ex animo, aere perennius, ea, qua semper me condecorastis, benignitate. Intelligatis inde, quanta cum religione propensam Vestram in me voluntatem mihi conseruandam, et, si fieri possit, augendam existimem. Persuadeatis Vobis, omni me animi contentione in eo elaboraturum esse, ut innumeris Vestris beneficiis haud prorsus indignus imos pectoris gratissimi sensus Vobis declarem. Caeterum cum hominum natura ita sit comparata, ut,

quos colunt atque amant, ab iis vicissim amari cupiant, Vos iam, ut Vestram mihi beneuolentiam in posterum quoque sartam tectam praestetis, oro rogoque. Quibus quidem precibus meis humanissimis annuere ut ne dedignemini; pro singulari Vestro fauore, quo per omnem meam vitam frui licuit, non tam spero, quam potius confido

NOMINVM VESTRORVM SPLENDIDISSIMORVM

LIPSIAE
CAL. OCTOBR. CIↃIↃCCCIII.

cultor perpetuus

GVILIELMVS SIGISMVNDVS TEVCHER.

Qui ad uniuersas legis secundae Digestorum de in ius vocando partes singularem, eamque magno doctrinae apparatu commendabilem ac *Miscellaneorum Libro Traj. ad Rhen. 1765. 8. p. 249 seq.* adiectam Dissertationem exhibuit HENR. IOAN. ARNTZENIVS: is quidem, dum de omnibus omnino, quas, auctore Ulpiano, non licet in ius vocare, personis exponere apud animum constituerat, quaestionem simul mouit de iis, qui propter loci religionem inde se mouere non possunt, nactus inde opportunitatem insurgendi aduersus *IOS. NERIVM Analect. Lib. II. cap. 4.* in *EV. OTTONIS Thes. Iur. Rom. Tom. II. p. 393. seq.* Solent plerumque in hac, quo viuimus, saeculi mollitie, varietate rerum adeo percelli hominum, ut sunt, animi, ut, populari trutina cuncta ponderantes, non nisi noua et quasi de musto ac lacu feruida probent, antiqua fastidiant. Ego vero, quemadmodum sine reprehensionis nota haud dimittendi, qui iurant in verba magistrorum, ita nullo modo laudandos existimo eos, qui, dum fugiunt vitia, in contraria cur-

runt. Placet igitur, cum antiquior illa Ios. Nerii de iis, qui ob loci religionem in ius vocari non possunt, opinio, plausu excepta ab interpretibus iuris ciuilis, paucis illis quidem, cultissimis tamen, *Christ. Henr. Trotzio Tract. iur. de memoria propagata, Traj. ad Rhen. 1734. 8. Lib. I. cap. VI. §. 5. pag. 380--398.* et inter nostrates a *Jos. Lud. Ern. Puittmanno Interprett. iur. ciu. Lips. 1763. 8. cap. XIII. p. 60. seq.* semper mihi visa sit omnium pulcherrima, placet, inquam, *μέσην ὁδὸν τέμνειν*, et Nerianam illam sententiam, hac scribendi necessitate imposita, sub examen vocare, eamque aduersus Arntzenium nouis, si fieri possit, argumentis confirmare. In qua quidem defensione suscipienda, ne vaga erret oratio, ita sumus versaturi, ut, collectis, quotquot super his Digestorum verbis exstant, variis ICtorum sententiis, ex rerum natura atque indole, quale cuilibet pretium statuendum veniat, demonstremus, ipsumque fragmenti, quo de sermo instituitur, sensum, ingeniose satis a Ios. Nerio erutum, paullo curatius exponamus.

CAPVT I.

Examinantur variae doctorum virorum sententiae de loci religione.

Ac primum quidem in commemorandis ac refutandis ICtorum sententiis non sumus nescii otium nobis aliquod iam fecisse *ANT. HENR. VAN HEES Diss. inaug. de iis, quae antiquitus apud Romanos inter litigatores ante litem contestatam fiebant, Lugd. Bat. 1747. 4.* typis exscripta, et *DAN. FELLENBERGII Iurisprud. ant. Bernae 1760. 4. Tom. I. p. 491. seq.* inserta, *cap. 1. §. 19.* quam miror ad manus non fuisse ARNTZENIO ipsos inter Batauos commoranti. Spicilegium tamen ille reliquit. Etenim, cum diuersae ICtorum sententiae commode possint reduci ad duo genera, quatenus istam loci religionem vel de romana superstitione, vel de re christiana intelligi voluerint: de utroque ita nobis erit agendum, ut singulas opiniones, prout earum auctores ordine sese excipiunt, diligenter examinemus, et, quibus potissimum argumentis quaelibet possit infringi, aut minui, paucis

exponamus. Verba ipsa legis secundae Digestorum *de in ius vocando* Florentiae ita leguntur:

> *Ulpianus Libro quinto ad Edictum.* In Ius *vocari non oportet neque consulem, neque praefectum, neque praetorem, neque proconsulem, neque ceteros magistratus, qui imperium habent, qui et coërcere aliquem possunt, et iubere in carcerem duci: nec pontificem dum sacra facit, nec eos qui propter loci religionem inde se mouere non possunt: sed nec eum qui equo publico in causa publica transuehatur, praeterea in ius vocari non debet qui uxorem ducat.* **Aut eam quae nubat: nec iudicem dum de re cognoscat: nec eum dum quis apud praetorem causam agit: neque funus ducentem familiare, iustaue mortuo facientem.*

Quod paganam primum superstitionem attinet, Iac. Raevardus quidem *Varior. Lib. I. cap. 6.* hoc Ulpiani fragmentum, quod corruptum esse existimauit, ita restituit, ut, duobus vocabulis in unum contractis, pro *se mouere* legat *semoueri*, leuissima sane emendatione, quam *Chr. Henr. Trotzius de memor. prop. p. 390.* medicinam violentam nominauit. Secuti tamen sunt deinceps lectionem istam *Jac. Gutherius de iure manium, Paris. 1615. 4. Lib. III. cap. 24. pag. 500. et Ant.*

Henr. van Hees in *Diss. de iis, quae antiquitus apud Romanos inter litigantes ante litem contestatam fiebant, cap. I. §. 19.* licet in explicanda lege ipsa uterque a Raevardi sententia recesserit. Contendit hic nimirum, eos, qui ad templorum asyla, aut alia loca religiosa confugerint, non in ius vocari, non trahi aut rapi inde potuisse, idque variis ex locis Plautinis, qui tamen nihil ad vocationem in ius faciunt, voluit demonstrare. Sed templis arisque quamuis penes Romanos aliquando ius asyli competierit, asylis ipsis autem religionem deprehendamus omnino fuisse tributam: a vero tamen haec interpretatio longe aliena videtur, cum constet, Ulpianum ICtum de securitate et asylo delinquentium in lege laudata plane non disseruisse. Unde merito Raevardvm reprehendit *Jac. Cviacivs Obseru. Lib. XIII. cap. 29.* quia Ulpianus ibi non egit de loco, ex quo vocantur, sed de ipsis hominibus, quibus iuris experiundi causa hoc priuilegium concessum est. Neque indiget ulla emendatione lectio vetus, cum verba *inde se mouere* significent *inde discedere*, quod e *leg. pen. D. de vacat. mun. Gerh. Noodt Comm. ad Pand.* in *Opp. Tom. II. p. 54.* edit. Bat. docuit.

Singularis prorsus est opinio *Ulr. Hvberi Praelect. iur. ciuil. secund. Instit. de poena temere litigantium n. 6.* hoc referentis ad superstitionem veterum, qui variis

ominibus et praesagiis omni die absterrebantur, ne ex aliquo loco discedant: ut, si intrasset in aedes ater alienus canis, si anguis per impluuium deciderat de tegulis, gallina cecinerat, si interdixerat hariolus, si haruspex vetuisset, aut si lacinia consurgenti alicubi obhaesisset. Sed ut mittam, hoc modo in tanta illa Romanorum superstitione vocationem in ius fere semper destitutam fuisse sua vi atque effectu, praesagia ista, fatente ipso Hubero, quolibet die, et tam saepe occurrebant, ut frustranea fuisset priuilegii alicuius concessio.

Transeamus ad maiorum gentium ICtos, ANTON. SCHVLTINGIVM inprimis *Enarrat. Part. prim. Dig. Lugd. Bat. 1720. 8. pag. 220.* qui cum *ELB. LEONINO Emendat. Lib. I. cap. 20.* et *IAC. GOTHOFREDO ad leg. 8. Cod. Theod. de fide testium et instrumentor. ed. Ritteri Tom. IV. p. 344.* Ulpiani verba intelligit de iis, qui certo aliquo loco ita adstricti sunt, ut discedere inde sine religione non possint, Flamine Diali potissimum ac Vestalibus virginibus. Sed inter omnes constat, omnino et has, et illum, potuisse in iudicium vocari. Diserte *TACITVS Annal. Lib. I. cap. 34. virgines Vestales,* ait, *in foro et iudicio audiri, quotiens testimonium dicerent, vetus mos fuit.* Idem quoque obtinuit in Flamine Diali. Quamuis enim viri docti prouocent ad auctoritatem *TACITI Annal. Lib. I. cap. 71.* et *VALERII*

Maximi Lib. I. cap. 1. ubi *Metellus Pont. Max. Postumium consulem, eundemque Flaminem Martialem, ad bellum gerendum Africam petentem, ne a sacris discederet, mulcta indicta, urbem egredi passus non est;* priuilegium tamen hoc est sacerdotii, non loci: excusat ab honoribus et muneribus ciuilibus, non ab in ius vocatione, nisi dum sacris operantur. In ius enim vocari non oportet, Ulpianus ait *leg. 2. D. de in ius voc. nec Pontificem, dum sacra facit, nec eos qui propter loci religionem inde se mouere non possunt.* A quibus quidem verbis toto coelo differunt, quae Schultingius una cum sententiae suae patronis ad hunc locum conferre studuit, ab eodem *Ulpiano lege 13. pr. D. de vacat. et excusat. mun.* scripta, dum ait; *praetor eos, quoscunque intelligit operam dare non posse ad iudicandum, pollicetur se excusaturum: forte quod in perpetuum quis operam dare non potest, quod in eam valetudinem incidit, ut certum sit, eum ciuilia officia subire non posse, aut si alio morbo laboret, ut suis rebus superesse non possit, vel si qui sacerdotium nacti sint, ut discedere ab eo sine religione non possint: nam et hi in perpetuum excusantur.* Aliud enim est muneri vacare, aliud in ius vocari. Non desunt quidem argumenta, quibus omnia alia demonstrare annisi sunt. Sed cum animaduertam, rejiciendis iis operam suam impendisse *Ant. Henr. van Hees Diss.*

laud. apud *DAN. FELLENBERGIVM Tom. I. p. 512. seq.* commemorandis iis, ne cramben recoctam apponam, non amplius immorabor.

Alia via incesserunt Pandectarum Interpretes, IO. VOETIVS et HENR. ZASIVS, qui de Aedituo et Pontifice haec verba exponunt. Ille enim *n. 3.* Ulpiani fragmento eum disignatum conjicit, qui sacrorum custodiam sibi habebat demandatam, et in *lege 20. §. 1. D. de ann. leg.* Hierophylacus aut Aedituus appellatur, de quo ex instituto disseruit *Io. DE ROEHR Otio Dauentr. Lib. I. cap. 10.* hic *n. 14. in eo ordine,* ait, *etiam comprehenduntur, quos iustum tenet impedimentum, quod facit eos honeste comparere non posse, ut Pontifex, dum sacra facit, qui propter religionem loci inde se mouere non potest.* Neutrum. Per se patet, verba Ulpiani generaliter concepta non posse restringi ad solum Aedituum: ZOESII autem sententia statim corruit, si perpendamus, Ulpianum distinguere a Pontifice, cuius iam meminerat, eos, qui propter loci religionem inde se mouere non possunt.

Diuersam ab his, sed elegantem tamen, huius loci sententiam proposuit *Io. IAC. WISSENBACHIVS Exercitt. ad Pand. Disp. VII. Thes. 9. p. 33.* qui de iis, qui sacris intersunt, h. e. de auditoribus, intelligit. *His enim,* inquit, *fas non est ante decedere, quam omnibus*

sacrificii caerimoniis peractis, sacerdos succlamet illud sollemne: ILICET; *qua voce illos, qui interfuerunt, missos faciebat: ut apud Graecos functus ministerio sacerdos pronunciabat; λαοῖς ἄφεσις.* Subscripsit ei *MARQV. FREHERVS Parerg. Lib. II. cap. 18.* in *EV. OTTONIS Thes. Iur. Tom. I. p. 929.* ob summam, quae pro religione facit, rationem. At enim vero hoc si admittamus: particula *inde* non tam ad *loci religionem*, quam ad *sacra* erit trahenda. Sed horum, uti dixi, iam antea mentionem fecerat Ulpianus. Deinde res sacra non nisi in loco sacro peragitur, qui non confundendus est cum loco religioso. Est quidem uterque locus diuini iuris: inter utrumque tamen magna differentia. Sacer locus dicatus dicebatur diis superis; religiosus diis manibus, h. e. inferis: illis publice tantum, his priuate. Adeo enim mutabatur ius loci, ut, illato mortuo, statim fieret ex priuato religiosus. Et, ut dicam, quod res est, ne ullo quidem testimonio idoneo comprobauerunt, eos, qui sacris intererant, pronunciata demum formula sollemni: ILICET, discedere potuisse. In iudiciis enim, in exequiis mortuorum, et in reliquis actibus sollemnibus pariter ac in sacris ipsis, ut eorum finis designaretur, teste SERVIO ad *Virgil. Aeneid. Lib. II. v. 424.* ac TERENTIO, fuit adhibita.

Quod cum animaduerteret *Ant. Henr. van Hees* *l. c. p. 515.* putauit is, praesidium aliquod allaturus Wissenbachio, priuilegii illius rationem, recepta Raevardi emendatione, in cultus diuini exercitio esse ponendam, ac verba ipsa explicanda de his, qui sacris quavis de caussa intersint; cui quidem sententiae nouissime *Henr. Io. Arntzenivs Diss. laud.* accessit. Generatim enim intelligit Ulpianum de quacunque sacrorum turbatione, et omnibus omnino, qui sacris quouis ex officio et ratione adsint. Sed ut mittam, hos non loci religione, sed ipsis sacris detineri, *religionis* vocabulum, hac inita ratione, tribuendum foret loco, qui ex Prudentum responsis sacer potius erat, non religiosus. Ipse Imp. *Ivstinianvs §. 8. et 9. Inst. de rer. diuis. Sacrae res sunt,* inquit, *quae rite per Pontificem Deo consecratae sunt: veluti aedes sacrae, et donaria, quae rite ad ministerium Dei dedicata sunt: quae etiam per nostram constitutionem alienari et obligari prohibuimus, excepta caussa redemtionis captiuorum. Si quis autem auctoritate sua quasi sacrum sibi constituerit; sacrum non est, sed profanum. Locus autem, in quo aedes sacrae sunt aedificatae, etiam diruto aedificio, sacer adhuc manet, ut et Papinianus scripsit. Religiosum locum unusquisque sua voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum. in communem autem locum purum, inuito socio, inferre*

non licet, in commune vero sepulcrum etiam inuitis caeteris licet inferre. Item si alienus ususfructus est, proprietarium placet, nisi consentiente usufructuario, locum religiosum non facere. In alienum locum, consentiente domino, licet inferre: et licet postea ratum non habuerit, quam illatus est mortuus, tamen locus religiosus fit. Liquet inde, sepulcra, quae ob deorum manium religionem statim a cadaueris illatione in rerum religiosarum numero erant, communem cum his naturam atque indolem habuisse, ita quidem, ut ICti Romani istis vocabulis promiscue et tamquam synonymis sint usi. Prouocat quidem firmandae sententiae caussa Arntzenius ad scriptores antiquos, ipsius inprimis Ulpiani auctoritatem in *leg. 2. §. 19. D. ne quid in loc. publ.* ubi generatim locis sacris religionem tributam esse contendit. Neque ipse tamen potest inficias ire, vocum discrimen non fuisse obseruatum. Saepissime enim veteres auctores, quas per accuratas definitiones non proponunt, res sacras, sanctas et religiosas confundunt, neque ubiuis eas in eadem adhibent significatione, quod exemplis bene multis demonstrauit *Ald. Manutius Quaesit. per Epist. cap. 10.* in *Gruteri Lamp. Crit. Tom. IV. pag. 268.* Unde, cum ICti Romani tenacissimi deprehendantur proprietatis verborum, mihi quidem vix videtur haec doctissimorum virorum opinio retinenda.

Superest, ut examinentur adhuc sententiae eorum, qui, quod *ULPIANUS l. 2. D. de in ius voc.* de pagana superstitione memoriae prodidit, id ad *μοναςικὴν φιλοσοφίαν* transferre non dubitarunt. Primus itaque in scenam prodeat FRANC. DUARENUS, qui in *Comment. ad Tit. D. de in ius voc. cap. 3.* verba Ulpiani opinatur accipienda esse de monachis et monialibus. Belle profecto, ut nihil supra. Cum enim prima monachorum origo, de qua pluribus egerunt *ANT. DADIN. ALTESERRA Libr.* Ἀσκητικῶν, siue *de origine rei monasticae, Paris 1674. 4.* et cum notis *CHR. FRID. GLUCKII, Hal. 1782. 8.* recus. nec non *AUBERTUS MIRAEUS Libr. origin. monastic. Coll. Agripp. 1620. 8.* Ulpiani aetatem nullo modo attingat, sed a Decii demum adversus Christianos instituta persecutione, ubi effugiendorum cruciatuum caussa loca remota et sola sibi quaerebant, sit arcessenda: sane ne per somnium quidem Ulpianus potuit de monachis cogitare. Ut igitur sententiae suae colorem aliquem praetexeret DUARENUS, visus est sibi videre eo in loco emblema Triboniani, sed absque ulla, idonea ratione.

Nec melioris notae est graecorum interpretum ad *leg. 2. D. de in ius voc.* scholion: *ὁποῖοί εἰσιν οἱ τόποι, οἷς τίσιν ἑαυτοὺς περικλείουσιν οἱ λεγόμενοι ςηλῖται.* Quod ut probent, utuntur *Nov. LXXIX.* auctoritate. Sunt

autem columnarii isti, qui stelas, seu columnas, ascendebant, eo consilio, ut seorsim degerent, et Deo viuerent, tempore Martiani Augusti, uti commemorat *GLYCAS Annal. Lib. IV.* exorti. Auctorem instituti Simeonem illum ferunt, quem et *Magnum*, et *Stelitem*, seu *Columellam* inde appellarunt. Religiosos hos homines ipsos, GREG. NAZIANZENVS in poëmate *περὶ ταπεινοφροσύνης, σωφροσύνης καὶ ἐγκρατείας* eum in modum depinxit:

Σάκκω τὶς ἄλλος, καὶ σποδῷ, καὶ δακρύοις
Ἑιλκυσειν οἶκτον, καὶ χαμευνίας πόνῳ;
Στάσει τε νυκτων ἡμερῶν τε πλειόνων,
Μηνῶν, τὸ τούτου μεῖζον· εἰ δ' ἔιποιμ' ἐτῶν,
Ἄπιςον οἶμαι· πλὴν ἐμοὶ πιςὸν λίαν,
Ὅσοι τ' ἐποπται τῶν φίλων τοῦ θαύματος.
Πίςις γὰρ ἐςήλωσε καὶ φόβος θεοῦ.

Sed his priuilegium immunitatis ab in ius vocatione nullibi deprehendimus ab imperatoribus gentilibus, concessum. Certum igitur est exploratumque, Ulpianum l. c. sub loci religione aliud quid intellexisse. Qui cum sub finem legis laudatae prohibitum scribat in ius vocari non solum, qui funus ducat, sed et qui iusta mortuo faciat: quid ni potuerit etiam in verbis antecedentibus relinquere vestigia paganae superstitionis? Hoc ipsum *IO. LEVN-*

CLAVIVS Notat. Lib. II. in *EV. OTTONIS Thes. Iur. Tom. III. pag. 1505.* et *SACC. HERM. VAN IDSINGA Var. Iur. ciu. Harling. 1738. 8. cap. VII. pag. 52.* recte contenderunt.

CAPVT II.

Proponitur Ios. Nerii interpretatio.

Expositis ac reiectis omnium tum veterum, tum recentiorum ICtorum, qui in legem 2. D. de in ius vocando non nihil commentati sunt, sententiis, commemoranda iam venit Ios. Nerii opinio, quae nobis quidem semper arrisit, eaque aduersus HENR. IO. ARNTZENIVM vindicanda. Existimauit autem *NERIVS Analect. Lib. II. c. 4.* in *EV. OTTONIS Thes. Iur. Tom. II. p. 395.* antiquitus non modo templorum et sacrarum rerum, verum etiam religiosarum et sepulcrorum curam quibusdam fuisse demandatam, qui loco perpetuo addicti inde se mouere non poterant. Recte quidem. Nam diuitum sepulcra suis custodibus curae fuisse, VET. SCHOL. CRVQ. ad Ho-

RATII *Epod. XVII. v. 47.* obseruauit. Occurrunt plura sepulcralis huius custodiae exempla in auctoribus classicis. Unum excitabo PETRONIVM *Satyr. cap. 71.* ubi Trimalchio testamento cauens, ne mortuus iniuriam patiatur: *praeponam,* inquit, *unum ex libertis sepulcro meo, custodiae caussa, ne in monumentum meum populus cacatum eat.* Rursus EIDEM *cap. III.* dicitur matrona Ephesina in conditorium adeo prosecuta esse defunctum virum, positumque in hypogeo, graeco more, corpus custodire. Neque ipsis in Pandectis custodiae huius testimonia desunt. Sic SCAEVOLA *l. 17. D. de aliment. vel. cibar. legat.* ait: *Seruos ad custodiam templi reliquerat, et his ab herede legauerat his verbis: peto, fideique tuae committo, ut des praestes in memoriam meam pedissequis meis, quos ad curam templi reliqui, singulis menstrua cibaria, et annua vestiaria certa. Quaesitum est, cum templum nondum esset extructum: ex die mortis, an vero ex eo tempore, quo templum explicitum fuerit, percipere serui debeant legatum? Respondit, officio iudicis heredem compellendum seruis relicta praestare, donec templum extrueretur.* Significat nempe templum h. l. monumentum, ut templum C. Marii aliorumque: imo vero ipsa sepulcra nonnunquam vocantur templa. Sic PAPINIANVS *leg. 35. D. de liber. caus. Seruos ad templi custodiam, quod aedificari Titia voluit, destinatos, neque*

manumissos, heredis esse respondit. Sic Maevia decedens, teste MODESTINO in *l. 44. D. de manumiss. testam.* seruis suis sub conditione libertatem reliquerat his verbis: *Saccus, seruus meus, et Eutychia, et Hirene, ancillae meae, omnes sub hac conditione liberi sunto, ut monumento meo alternis mensibus lucernam accendant, et sollemnia mortis peragant.* Ad quaestionem: an seruus et ancillae, cum monumento assiduo non adessent, liberi esse possint, respondit *MODESTINVS, neque contextum verborum, totius scripturae, neque mentem testatricis eam esse, ut libertas sub conditione suspensa sit, cum liberos eos monumento adesse voluit: officio tamen iudicis eos esse compellendos, testatricis iussioni parere.* Sic tandem SCAEVOLA in *leg. 18. §. 4. D. de alim. vel. cibar. leg.* scribit: cibaria et vestiaria a testatore per fideicommissum data esse, adiectis verbis: *quos libertos meos ubi corpus meum positum fuerit, ibi eos morari iubeo, ut per absentiam filiarum mearum ad sarcophagum meum memoriam quotannis celebrent.* Mota deinceps quaestione: utrum uni ex libertis, qui a die mortis neque ad heredes accesserit, neque ad sepulcrum morari voluerit, alimenta praestanda sint? respondit ICtus, *non praestanda.* Quid? quod hanc monumentorum custodiam Romanis usitatam ipsi adeo lapides loquuntur. Apud GVDIVM quidem *Inscript. p. 190.* ut caeteros veterum inscriptionum collectores

missos faciam, haec inter alia leguntur: *libertis libertabus posterisque eorum custodiam monumenti inhabitandi caussa fecit.* Tenebantur serui potissimum ac liberti excubias has agere ad dominorum tumulos, ita quidem, ut quas operas in aedibus sacris aedituus in se suscipiebat, eas in sepulcris custos praestaret. De hoc quidem *PROPERTIVS Lib. III. Eleg. 16. v. 24.* cecinit:

Afferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum
Ornabit custos ad mea busta sedens.

Custodiae huius, quam recte tutelam cinerum *QVINCTILIANVS Inst. Orat. Lib. III. cap. 9.* vocavit, non una fuit ratio, sed plures.

Ac prima statim quaerenda videtur in summa Romanorum, qui quietos cupiebant cineres suos, cura, ut justa et perpetua sedes reliquiis non denegaretur: cuius exemplum commemorat SCAEVOLA in *leg. 30. §. 2. D. de adim. legat.* ubi testator codicillos ad heredes suos ita scripserat: *peto a vobis, ut, siue in prouincia, siue in via aliquid mihi humanitus acciderit, corpus meum curetis et in Campaniam, et in monumentum filiorum meorum reportare:* ad quam legem videatur *IAC. GVTHERIVS de iure man. Lib. III. cap. 23.* Unde *SENECA de brevit. vitae cap. ult. quidam,* ait, *disponunt etiam illa, quae ultra vitam sunt, moles magnas sepulcrorum, et operum publicorum dedicationes, et ad rogum munera, et ambitiosas exequias.* Quae ut melius procedant, nec detrimenti quid

capiant monumenta ipsa, saepius a defuncto legata deprehendimus relicta libertis aliisue. Hinc PAPINIANVS in *leg. 71. §. 2. D. de condit. et demonstrat.* scribit: *Titio centum relicta sunt ita, ut a monumento meo non recedat, vel uti in illa ciuitate domicilium habeat: potest dici, non esse locum cautioni, per quam ius libertatis infringitur. Sed in defuncti libertis alio iure utimur.* Accedit, quod Romani, religionis tenacissimi, variis legibus prospexerint, ut tum cadauera, aeternae sedi destinata, tum sepulcra ab omni vi et iniuria tuta essent. Ipsius nimirum cadaueris violatio fieri poterat expositione, contrectatione, mutilatione, spoliatione, et illegitima translatione; sepulcri autem alienatione, contaminatione per urinam, congerendo terram in sepulcro alieno, stillicidium aut protectum in sepulcrum immittendo, illegitima illatione, inhabitatione dolo malo commissa, et monumenti dimolitione, de quibus omnibus, uti de remediis ad inhibendum crimen concessis, nec non de poenis in violatores constitutis *IO. VAN NISPEN Disp. de sepulcro violato Lugd. Bat. 1723.* in *GERH. OELRICHS Thes. Diss. iurid. select. Vol. II. Tom. III. p. 1. seq.* et *ISAACVS VALCKENAER* Diss. inaug. *de iure exequiarum Lugd. Bat. 1781. 4. Cap. IV. p. 53. sqq.* copiosius exposuerunt. Unde in lapidibus ac monumentis saepissime inueniuntur inscriptiones, quae violationem nunc deprecationibus, nunc imprecationibus avertant. Neque aliud quid, nisi

sepulcralis custodiae ratio, videtur repetendum e more Romano, quo mortuorum vestimenta, aurum, pecuniam, supellectilem, aliasque res, ut in loco, deorum manium religione munito, melius ac tutius possent asseruari, in sepulcris condebant, ut mittam sacrificia ista annua, in defuncti honorem saepe ex ipsius testamento peragenda, inter quae stato tempore ludos, epulas, aliaque mortis sollemnia instituebant, et de quibus consulendus est *Henr. Io. Arntzenius Spec. Obseruat. Leouard. 1761. 8. cap. VII. pag. 38. sqq.* Nec silentio tandem praetermittenda est cura odoramentorum, quae statis et sollemnibus diebus sepulcro infundebantur, et lucernarum, quae lychnuchi et bilichnes dicuntur et in omnibus fere monumentis occurrunt. En ardentis lucernae Salerni inuentae inscriptionem!

HAVE. SEPTIMA. SIT. TIBI
TERRA. LEVIS. QVISQ ·
HVIC. TVMVLO. POSVIT
ARDENTEM. LVCERNAM
ILLIVS. CINERES. AVREA
TERRA. TEGAT.

Harum rerum omnium cura, ipsiusque sepulcri custodia, tamquam pietatis erga defunctos imago, iniungebatur libertis, qui, ob summum et inaestimabile libertatis beneficium a patronis acceptum, arctiori vinculo adstricti erant. Hinc Mausolei claues duae penes aliquem libertorum esse

iubentur in lapide apud GRVTERVM *Thes. Inscript. p. 496.* Hinc APPIANVS *de bello civ. Lib. IV. pag. 615.* liberti anonymi meminit, qui, custos sepulcri domini sui, filium herilem proscriptum, in eodem sepulcro, una cum parente, saluum tenuit. Hinc liberti, sepulcris praepositi, exemplo templorum custodum, nacti sunt nomen *aedituorum sepulcri*, quod extat apud REINESIVM *Inscr. class. V. n. 53.*

AEDITVVS. SEPVL. SERG.
FAMILIAE. AEDITVAVIT.
ANN. XII.

Hinc lux affunditur Ulpiano de iis, qui propter loci religionem inde se mouere non possunt, in ius non vocandis. Dicitur nempe locus religiosus, in quem mortui hominis integrum corpus, siue caput eius tantum, ossaue, et, ut uno verbo significemus, λείψανα inferuntur, eo consilio, ut ibi perpetuo maneant. Confirmat hoc FLORENTINVS in *lege 42. D. de religios. et sumt. funer.* his verbis: *monumentum generaliter res est memoriae causa in posterum prodita: in qua si corpus vel reliquae inferantur, fiet sepulcrum: si vero nihil eorum inferatur, erit monumentum memoriae causa factum, quod Graeci κενοτάφιον, id est, inane sepulcrum appellant.* Et PAVLVS paullo post in *lege 44. ibid.* ait: *cum in diuersis locis sepultum est, uterque quidem locus religiosus non fit: quia una sepultura plura sepulcra efficere non potest. mihi autem videtur, illum religiosum esse,*

ubi, quod est principale, conditum est, id est, caput, cuius imago sit, inde cognoscimur. cum autem impetratur, ut reliquae transferantur, desinit locus religiosus esse. Erit igitur sepulcrum, proprio sensu sumtum, ubi religio incipit a glebae iniectione, licet vocetur etiam *sacrum* ob factam diis manibus consecrationem, et *sanctum* propter sanctionem contra violatores confirmatam et ab iniuriis hominum munitam.

Neque est, quod, auctore *MARCO LYCLAMA Membran. Lib. VII. Ecl. 22*, reponat ARNTZENIVS, laesam esse a libertis, facta in ius vocatione, defunctorum, qui sepulcralem custodiam iusserant, voluntatem. Laesa potius censenda est a constitutis custodibus, ipsa, si inde se mouerant, loci religio, qua sola ii detinebantur. Quod ut existimem, in causa est ipse VLPIANVS in *lege 1. D. de mortuo infer.* ubi propositis a praetore verbis edicti: *quo quaue illi mortuum inferre, inuito te, ius est, quo minus illi eo eaue mortuum inferre, et ibi sepelire liceat, vim fieri veto,* adiicit, *qui inferendi mortuum ius habet, non prohibetur inferre: prohiberi autem inferre videtur, siue in locum inferre prohibeatur, siue itinere arceatur.* Quid igitur? Nonne hic sepulcrum dicitur locus? Nonne elocutio Ulpianea: *qui propter loci religionem inde se mouere non possunt,* intellectu facilior eaque commodior, si de *sepulcri* religione capiatur? Suadet certe tum linguae latinae ratio, tum veterum scriptorum auctoritas. Dicebatur antiquitus sepulcrum etiam *commune sepulcrum,* et *commu-*

nis locus. *ARTEMIDORO Lib. I. c. 80.* communis ille locus vocatur, qui mortuos accipit: κοινὸς ὁ τόπος οὗτος καλεῖται, ὁ τοὺς νεκροὺς δεχόμενος· Et *CICERO Verr. VI. dico nihil istum eiusmodi rerum in prouincia reliquisse, nihil in aedibus cuiusquam, nihil in oppidis, nihil in locis communibus, ne in fanis quidem.* Loci communis tandem testimonium adhuc denuncio *PLAVTO Prolog. Casinar. v. 19.*

Ea tempestate flos poetarum fuit,
Qui nunc abierunt hinc in communem locum.

Ridicule ad haec verba *PAREVS Lexic. Plautin.* adduxit §. *9. Inst. de rerum diuis.* ubi Imp. IVSTINIANVS ait: *communem autem locum purum inuito socio inferre non licet,* cum apertum sit, *locum communem* ibi opponi ei, qui unius socii est: in PLAVTO autem, qui εὐφημεῖ, commune sepulcrum intelligi, seu, ut cum CATVLLO loquar, locum, unde negant redire quemquam.

Atque ex his quidem omnibus, satis, ut videtur, efficitur, in tantis istis, quibus Lex secunda Digestorum de in ius vocando premitur, difficultatibus, JOS. NERII opinionem, qua ductus in Ulpiano interpretando de libertis, sepulcrorum custodibus, cogitare coepit, quamque aduersus HENR. IO. ARNTZENII vituperia defendendam nobis sumsimus, omnium esse pulcherrimam.

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE

DISPVTATIONIS AVCTORI

S. D. P

PRAESES

Quod me potissmum in publice tuenda disputatione Tua Tibi voluisti adesse, Teuchere, Vir Doctissime animoque meo carissime: in eo agnosco amorem Tuum, cognitum quidem et perspectum ab ipso illo temporis puncto, quo primus in mei notitiam venisti, sed nouo documento egregie auctum et confirmatum. Neque mihi iucundius quicquam, aut dulcius contingere poterat colloquii docti Tecum instituendi societate, anno superiori, quo, me teste ac comite, in auditorio publico selecta iuris controuersi capita defendisti, inita, iam vero per nouae eiusdemque sollemnis disputationis oportunitatem renouata, quam nullus dubito maximos voluptatis ac laetitiae fructus Tibi allaturam esse. Cum enim pectoris Tui candorem, ingenii alacritatem, doctrinaeque, quam indefesso studio Tibi

comparasti, elegantiam saepius sim in scholis meis admiratus: profecto absolutis iam omnibus, quae Iurium Candidatis ex praescriptis legum edenda sunt, tanta cum laude speciminibus, ut summo sis ab Illustri Ordine elogio condecoratus, omnes istae virtutes, quibus ornatum Te conspicio, mihi quidem longe maiores atque splendidiores sunt visae. Ex animi sententia igitur Tibi, Vir Amicissime, hunc facilem studiorum decursum, Consultissimo autem ac Venerabili Parenti Tuo hos dulces curae suae fructus, et, omnibus, quibus necessitudinis vel amicitiae vinculo aliquo iunctus teneris, hos veros gentis suae honores gratulor, et vehementer opto, ut diuina prouidentia Te una cum gente splendidissima per longam annorum seriem praestet incolumem. Caeterum virtutes Tuae, Tua diligentia, Tua modestia, morumque suauitas optima quaeque mihi de Te ominantur, ut adeo persuasus esse possis, Te, si, qua coepisti, via perrexeris in hoc eruditionis et virtutum stadio, uberrima earum praemia aliquando certissime esse capturum. Nulla enim praemia virtutum praemiis sunt certiora. Scr. in Uniuersitate Litterarum Lipsiensi Calendis Octobribus A. O. R. cIↄIↄcccIII.

[illegible]

[illegible]

CASES

[illegible]